

Libellus de passione (Serarius 821).

Postquam diutina instantia
sub theologicæ disciplinæ
ferula sudavit,

Vita Arnoldi (Jaffé 606 ff.).

mentosa apīs, totus suspensus in Domino, ad sanctarum scripturarum capessendam doctrinam ipse sedulus anhelabat: meditans prophete vaticinantis oraculum, quod, qui docti fuerint, fulgebunt sicut splendor firmamenti, et quia scientia et prudentia custodiunt rectorum salutem et protegent gradientes simpliciter. Unde cum diutina instantia sub theologicæ discipline ferula sudaret et secundum apostolum a domino Deo, qui dat omnibus affluenter scientiam, vias suas dirigi in lege Domini instanter deposceret, magnificavit Dominus facere cum ipso: ut sancte scripture scientiam, que in incepto sibi dispositio fuerat, tamquam discretionis rationabilem habitum indueret. E studio igitur devocatus ad propria, cum omni devotione divino se manciparet obsequio et dum moribus scientia ac honestate super omnes coetaneos suos emularetur religionem virtutum, senilemque ipse iuvenis etatem virtute transcenderet et quasi eximium sidus inter ceteros celebri conversatione splenderet, affuit mox ille, cuius invidia mors introivit in orbem terrarum. Affuit, vidit et invidit. Doluitque famam sanctam et opinionem boni viri, que longe lateque crebuerat; et superseminavit zizaniā in medio tritici. Aggressusque est in venerabilem virum tela invidie persecutionisque molimina per suos satellites intorquere, vitium virtutem ferre non prevalens. Sed Dei protegente clementia, hostium cuneos ut immunis a culpa sic a lesione semper pertransiens, tyrannidem evasit; se ipso cottidie melior et maior et Deo et hominibus acceptabilior clariorque existens. Ipsa vero turma hostilis e contra, nevo tabescens invidie, in sese fatiscebat assidue, invidie spiritus tabe cancerata atque consumpta . . . (folgt Textverderbnis).

Reverendus autem vir Domini, ut dictum est, in medio nationis prave et perverse civium suorum tamquam luminare clarissimum re-